DE PNEUMORRHAGIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... MENSE...

Giacomo Annovazzi

DE
PNEUMORRHAGIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DOMINI DIRECTORIS, AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM PRO DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D.RE J. M. ZENDRINI

PROF. ORD. HISTORIAE NATURALIS

CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Maii 1847

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

ANNOVAZZI JACOBUS
EX SOLFERINO PROV. MANT.

TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

A TE

AVO AMATISSIMO

VALGA IL PENSIERO

NEL GIORNO IN CUI

VESTO LA TOGA DEI SACERDOTI D' IGEA

CH' IO RACCOLGA UN FIORE

SULLO SPINOSO SENTIERO

DELLA CUI FRAGRANZA SIANO CONFORTATI

I GIORNI DELLA TUA VECCHIEZZA.

Quicumque fabricam pulmonum mollem et spongiosam considerat, et duplex eorum officium, cum videlicet et respirationi inserviat, et universi sanguinis circulationi, is profecto facile intelligit ex mollissimo viscere sanguinem posse ex quacumque levi causa exsudare, et aputi forma de pectore excerni in quo sane pneomorrhagia, haemoptoe, haemoptysis, seu sanguinis sputum consistit. Curnam vero, quaeret quispiam, cum sanguis omnia humani corporis viscera percurrat raro fit ut ex hepate, ex liene, quin immo ex intestinis effluat, quae sanguiferis vasis abunde ditata sunt, et inflammatione etiam saepe saepius torquentur, frequens autem sit, nec ulla praecedente causa, sanguinis exputio? Id, si quid video, pulmonum texturae et usui, eorumque cum vicinis

partibus connexioni, adscribendum est. Et primo quidem pulmo solo constat celluloso textu, per quem innumera vasa disseminantur. Vasa igitur illa nullis coercita solidioribus partibus plus aequo dilatari possunt, sanguine repleri, disrumpi. Viderunt medici non semel sub irae conatu sanguinem per os fuisse ejectum, quemadmodum scimus, cantores, eosque qui apertis tibiis delectantur hoc morbo prae ceteris obnoxios esse. Et ad texturam pulmonum pertinet quoque lumen arteriarum venarum luminis, haud apprime respondens, ex quo fit, ut per venas lente redeat sanguis qui celerrime per arterias impulsus pulmonem, ut ita dicam, repleverat. Ergo ex pulmonum fabrica facile est conjicere sanguinem ex pulmone facilius quam ex aliis visceribus promanare. Qui sane morbus a pulmonum quoque officio derivari potest. Cum enim per pulmonem universa sanguinis massa feratur, quae a dextero cordis ventriculo impellitur, ut amisso carbonico reviviscat, quis non videt in angusto spatio omnem sanguinem colligi, qui paullo ante per totum corpus peragraverat? quin immo capillaria, ut appellant, sanguiferorum vasorum extrema tenella sane sunt, et rete constituunt fere inconspicuum in vesiculis pulmonalibus,

quae aere dilatantur alterna vice, et emisso aere iterum concidunt; atque idcirco et ob nimiam sanguinis copiam, et ob vasorum rationem imparem et ex continuo visceris motu aliqua sanguinis exsudatio est pertimescenda. Dixi tandem connexionem pulmonis cum vicinis partibus causam esse pneumorrhagiae: et re quidem vera nonne pulmo cordi proximus est? nonne majore impetu sanguis pulmonem subit a corde ejectus, quam is qui per aortam diffusus abdominalium viscerum functionibus prospicit? nonne retenta paulisper respiratione, idest sanguine adhuc pulmones replente, celeriores arteriarum ictus, faciei rubor, anxietas, et quandoque mora? Silentio praetereo aeris qualitates, quae pulmonum morbis praecipue favent. Aequis sane ignorat aerem quoad effluvia quibus inquinatur, et quoad calorem, motum, humiditatem, siccitatem inter causas morborum quamplurium a Pathologis adnumerari? At si caeterae corporis humani partes morbo plus minus laborant ex diversa aeris admosphaerici temperie, quo magis elementum istiusmodi viscus afficiet, quod totum pervadit et in quo naturae lege mirifice permutatur? In ipsomet igitur pulmone ad pneumorrhagiam dispositio inest fere dixerim naturalis.

Verum et in hominibus quibusdam ea conditio, seu partium dispositio, seu opportunitas, seu idiosyncrasia observatur, qua morbus, de quo sermo est, facilius quam in aliis evolvitur. Corripiuntur hoc morbo praecipue juvenes cute tenera, alba, fibra sensibili, praecoci acutoque ingenio pollentes. Multa quoque aliunde prostant exempla, ex quibus patet indiscriminatim correptos fuisse juvenes atque homines in aetate tam matura quam senili, debiles aeque ac robustos. Et ii etiam pneomorrhagia afficiuntur, qui graciles et delicati collo nimis oblungo, aut thorace angusto et compresso, scapulisve fere prominentibus, alarum forma instructi sunt; aut qui roseum in genis colorem ostendunt, ut observavit Boerhaave, aut qui facili negotio copiosae et frequenti epistaxi obnoxii esse solent. Sputum autem sanguinis est copiosi, sinceri, aliquoties nigricantis, fluidi, spumosi, et aut a trachea venit, aut a bronchiis cum caloris sensatione, coarctatione pectoris, aut dolore in validiori expiratione, et ingruente tussi.

Si peripneumonia cum acuta febre praecesserit, et sanguinea sputa in catharrum meliloris notae non sint mutata, sanguis autem per excreatum et per tussim de pulmone iden-

tidem expellatur, tunc aegrum pneumorrhagia laborare judicamus. Verum peripneumoniam non adeo necesse est aegrum afflictasse; aliquoties enim accidentalis est pneumorrhagia, habitualis quandoque. Habemus quoque sputum sanguinis a catameniis aut ab haemorrhoidibus suppressis, et a scorbuto, et a variolis, a phthisi, a pulmonum tuberculis et sphacelo, a pectoris percussione et vulnere; et sputum denique tamquam intermittentis febris symptoma.

Verum et illud occurrit animadvertendum, quod sanguis quandoque in thoracis cavo effunditur, ut in quibusdam scorbuticis. Interdum polmonis vasa externa lacerantur, et aut aneurysma aut varix idem sanguinis profluvium promovent, et modo aut vomica, aut abscessus, aut ulcera vasa pulmonum sanguinea corrodunt: interdum quoque quaedam vesicae non aqua, sed liquore sanguineo repletae in pulmonum superficie eminent, quae contentum humorem in proximas thoracis cavitates effundunt.

Signa profluvii sanguinei prodroma esse solent levis horror, totius corporis debilitas, rubor et calor fugax, cephalalgia, dyspnoea, tussis arida, anxietas, dolores interni, tensio, et dolor in sterno, dorso, scapulis, in pectoris

cavitate profunda, extremorum frigus, urina pallida atque interdum febricula, et cordis palpitatio; denique signa physica, quae habentur ex percussione et auscultatione pectoris. Ubi aeger haemoptoë alia vice laboravit, aliis symptomatibus locus est, quae non morbi, sed terroris quo aegri corripiuntur, propria sunt. Sensatio excitatur in faucibus stimuli involuntarii, et materiei fere, ebullientis sonus in trachea, ex quo augetur dyspnoea, et ex majoris aeris inspiratione contractio totius pectoris spasmodica et vehementior fit, ex qua tussis consequitur. Si sanguis ex parvis vasis parca copia fluat, hic rutilans, vividus et spumosus apparet. Si contra ex crassiori aliquo vasculo aut majori impetu per ramos bronchiales laterales declives in pulmonis aut sani aut adfecti substantiam descendat; tunc novo refluxu summa in praecordiis anxietas et violenta diaphragmatis actio, interdum absque tussi manifesta et tantummodo ob fortem expirationem consequuntur; torrentis instar praeceps per tracheam, laringem, os, et nares saepe fluidus, quandoque coagulatus et obscurus foras ejicitur. Ex summo sanguinis impetu, qui ad fauces defertur, hujus portio quaedam in pharingem non raro regurgitat; et vomitui vio-

lento occasionem praebet cum alimentis comixtus. Ex qua vehementi et repentina pulmonum haemorrhagia aegrotans exspirantis hominis faciem praesefert. Legitur foeminam annos nata quadraginta duos cum ab aliquot annis lenta pulmonum tabe laborasset, de repente copiosa haemoptoe valde pertioaci affectam fuisse, at illico occubuisse aliqua saltem hora elapsa, summo corporis frigore, convulsionibus et hyppocratica facie antecedentibus. Alia mulier, chronico pulmoonm catarrho laborans, de repeote valde copiosa haemorrhagia extiota fuit. Ex nimio sanguinis sputo vires quam maxime infirmantur, pallor atque extremorum frigus, convulsiooes, asphyxiae consequuotur, quamvis interdum, asphyxia superveniente, sistet haemoptoes in quibusdam modicae haemorrhagiae, paucis elapsis horis, alia magis copiosa succedit, idque plurium dierum curriculo iterum reccurrit cum febre, pulsu duro, cootracto, celeri, pectoris dolore, anxietate, caephalalgia, facie rubra, frequenti tussis stimulo etc. Plerumque sanguis extractus in hoc morbo, aut serius aut ocius, ob novas haemorrhagiae ipsius insidias crusta valde dura contegitur; sed id quod ejusdem iodolem inflammatoriam denotat, est febris, tussis, dyspnoea,

quae pertinaces fiunt quamvis venae sectio his et ter instituatur; et tunc de latentis inflammationis conditione, et de futuro ulcere valde est pertimescendum. Quidam sunt qui absque magna molestia sine febre aut lento pulmonum morbo diu impune sanguinem expnunt; in foeminis ubi catamenia debitae quantitati nequaquam respondeant aut ea cohibeantur; in gravidis, in iis quibus haemorrhoides desint saepe sanguis in pulmonum vasis sensim sensimque colligitur, et collectus exit. Non semper autem per pulmones et bronchia viam sanguis sibi facit, sed eum effundunt etiam non semel vasa tracheae et laringis: tunc aegri ardore fixo et stimulo in laringe adficiuntur. Si sanguis catarrho mixtus fluat cum levi sensatione ardoris, irritatione et tussi non vehementi; si paucis post diebus tracheae ardor, et sanguinis sputum evanescant, quin febris et dyspnoea in scenam prodeant; si aeger tandem diu sanguinem expuat nullo pulmonari vitio antecedente, tunc in ea spe animus haemoptoem originem a trachea at laringe ducere.

Praedisponunt ad pneumorrhagiam labes haereditaria (nam Joseph Frank observavit in nonnullis familiis omnes fere filios modo alterius, modo utriusque sexus pneumorrhagiam

a parentibus haereditario acquisivisse), corpus procerum, pectus angustum aut vitiosum, ut ex. gr. a gibbositate et depressione, tenella et laxa totius corporis compages, temperamentum cholerico-sanguineum, labes rachytica, scrofulosa, vita iners, textoris et sectoris ars, subitanea ex vitae genere exercitato in otiosum mutatio, tempestas veris, constitutio aliqua epidemica, repentinae admosphaerae vicissitudines; a frigidiori et sicco in tepentem atque humidum aerem mutationes. Inter causas quoque debent enumerari vehementes quaedam laesiones in respirationis organo, ut vulnera, contusiones, ictus, compressiones, contractiones, sterni et costarum fracturae, violenti nisus in elevandis ponderibus, vel in foetu excludendo, continua alvi durities, tibiarum, aliorumque vocalium instrumentorum usus, vox nimis diu defatigata, fortis clamor, corpora extranea in tracheam illapsa, tussis vehemens, vapores nitrosi, sulfurei, sternutationes violentae, risus immodicus, cursus et violenta corporis exercitatio, diuturna equitatio, motus in rheda adverso vento vel in locis alpestribus et saxosis, sensilitas major et peculiaris debilitas pulmonum ex antecedentibus morbis orta, videlicet catarrho peripneumoniis frequentibus,

sanguinis congestione, cujuslibet haemorrhagiae habitualis suppressione, asthmate, dispositiona scorbutica haereditaria. Iis eddi etiam possunt tumores in cavo pectoris, cordis, vasorum majorum pulmonalium aneurysmata, steatomata, vomica, tubercula, varices, thoracis et pericardii hydrops, empyema, calculi, materies tophacea, calcarea in bronchiis, myasma syphiliticum pulmonibus infestum, repentina herpetis atque aliorum exanthematum retentio, viscerum abdominalium obstructio, praecipue he patis et lienis, moles uteri nimis aucta, tumor aliquis scirrhosus, nimius adeps, aqua in abdomine collecta, spasmi abdominales, partium extremarum frigus, balnea frigida, vestes nimis angustae, et praecipue thorax valde compressus, et demum eae omnes causae quae stimulum pulmonibus ferunt, atque in iis sanguinem circulationem nimia augent, et localem plethoram in hoc viscere promovent. His omnibus addi potest veneris nimius aut praecox abusus Frank mulierem memorat robusto temperamento optimaque nutritione pollentem, quae quoties veneris illecebris nimio oestro calore saeviente indulgebat, toties haemoptoe laborabat. Constat etiam haemoptoem, ut dicunt, traumaticam ex causis externis oriri. Atlethae

qui olim pugillatu certabant, et Angli pugillatores interdum ex nisu enormi et repetito haemoptoe laborare visi sunt. Casus ex locis sublimioribus causae insuper traumaticae haemoptoes esse solent. Denique ex ipsis animi pathematibus orta quoque fuit haemoptoes: neque exempla desunt, ex quibus certiores facti sumus haemoptoem ab irao vehementis motu originem duxisse.

Quotidiana vero nos docet experientia, eos qui ad phthisim pulmonum dispositi sunt, aut tuberculis aegrotent, et qui mollia aut sensilia habent pulmonum vasa, aut eos qui haemoptoici jam sunt, in gravi versari periculo. Ubi juvenes crebro epistaxi obnoxii sint, et ubi temporis progressu sanguis ad pulmones facili negotio deferatur, tabes pulmonaris pertimescenda est, praesertim si febris adsit, si pectoris molestia augeatur, et copiosa sit haemorrhagia, et cum tussi assidua dyspnoea locum habeat. Valde periculosa quoque est nimia sanguinis copia cum impetu fluens, et si sanguis nimis vividus sit cum profundo strepitu in thoracis cavo: malum omen praebet partium extremarum frigus, vomitus, assiduae lipothymiae atque convulsiones. Non raro tamen gravidae in partu absque noxa haemop-

toem perferunt, neque semper desperandum de foeminis iis quarum catamenia irregularia sunt, et vicaria, ut dicunt, sanguinis excretio per pulmones sit, quod idem de haemorrhoidum retentione intelligi potest. Neque valde periculosa est pneumorrhagia in gravi pulmonum inflammatione, quin immo saepe salutaris; minus periculosa haemorrhagia in robustioribus hominibus plethoricis, atque in iis qui corporis motu aut spirituosis liquoribus abusi sunt. Itaque pariter observarunt medici noxium minus esse sanguinis sputum a vasis tracheae et laringis effluens, quam cum a pulmonum bronchiis excernitur.

In hujus autem morbi curatione accersitus medicus indolem, aetatam, vires, temperamentum aegri, causas praecedentes, sanguis characterem et ejus copiam explorare debet. Necesse est haemoptoicum iis vestibus abstineat, quae nimis thoracem coarctant aut comprimunt: erectum corporis situm eligat; aerem frigidum respiret, nec corpus agitat nec voce defatigetur, animi pathemata augne pejus et cane vitet, non secus ac potum quemlibet calidum aut nimis acidum. Ubi modica haemorrhagia juvenem bona nutritione pollentem et epistaxis aut alias haemorrhagiae con-

suetae retentione adfectum, et nimio corporis motui aut liquoribus spirituosis adsuetum corripiat, ab omni remedio excitante caveat ipse opus est, et phlaebotomiam in brachio instituat. Si pulsus in posterum nimis turgeant et duri sint, et febris, dyspnoea, et pectoris ardor urgeant, repetatur phlaebotomia, et diaeta tenui eusteraque curetur. Aliter copiosa superveniente haemorrhagia in gracili temperamento, causarum debilitantium actione praegressa alia praesidia administranda sunt, phlaebotomiam vitando. Hujusmodi casu prosunt ligaturae in brachiis, pedibus, cubitu et genibus necessarius insuper est potus frigidus et sensim sensimque valde frigidus, aut gelu thoraci adplicitum, leviora adstringentia pharmaca eaque sensim sensimque administrando. Nisi molesta tussis aegrum fatiget, acidum sulfuricum in aqua frigida solutum cum mucilagine gummi arabici aut conserva rosarum, aut pulvis salep medicae indicationi satisfaciunt. Vel ipsa digitalis purpureae infusio cum aqua cynamomi, aut emulsiones gummi arabici et amygdalarum dulcium, et cessante dyspnoea corticis peruviani extractum cum alumine aut lactis serum aluminosum proficerunt. Ubi catamenia aut haemorrhoides retineantur et sanguinis congestioni in pulmonibus ansam

praebuerint, hirudinum adplicatio tam ano quam partibus pudendis salutis spem erigit. Pulmonum haemorrhagiae a viscerum abdominis obstructionibus ortae, aperientibus et deobstruentibus curentur, scilicet sapone, gummi ammoniaco, cicuta atque extracto taraxaci. Si sanguineum profluvium a rheumatismo, catarrho atque herpete pendeat, mollissimam bronchiorum superficiem intimiorem irritando, tunc epispastica sterno et scapulis imponantur. Haemorrhagia evanescente, sed tussi, febre et nigri sanguinis expuitione persistentibus ad victum tenuem, ad seri lactis usum, ad decoctionem hordei cum melle confugiendum est: nova haemorrhagia tamen superveniente, si pulsus irritati denuo aut asperi, ut apellant, fiant phlaebotomia at cucurbitae cruentae in promptu sint. Paucis elapsis diebus ubi febris abit, victus nutriens est administrandus, et praeceteris farinae oryzae, hordei, avenae, pulli junioris aut vituli jus. Cum haemoptoe intermittentem febrim tamquam symptoma comitatur, peruvianus cortex omnibus aliis praesidiis antaponi debet.

Si aeger de pneumorrhagia convaluit, mollissima pulmonum textura, tenuiumque vasorum numerus et intricata distributio ob oculos ue-

dici aeque ac aegroti continuo obversetur oportet, ne morbus iterum exsuscitetur, non sine summo vitae discrimine aeris frigidi vicissitudines praesertim nocturnas, pedum frigus atque extremarum partium, motum nimiumque corporis exercitationem aeger fugiat; modica equitatione utatur, vocem cantu et nimia declamatione nequaquam defatiget, alimentis nimis nutrientibus et vini abusu abstineat, atque animi hilaritati et tranquillitati severe prospiciat.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE

1. Urinarum inspectio ad morborum prognosim statuendam interdum maxime conferre.
2. In vulnerum gravitate judicanda cauto semper pede incedere oportere.
3. Nervi sectio nevralgiae haud semper medetur.
4. Ad calcula urocystica diagnosticanda auscultationem interdum maximi esse faciendam.
5. Diversa baerbarum corticumque extracta, et praesertim heroica generatim infusionibus atque decoctis esse postponenda.
6. In tetano traumatico amputationem partis vulneratae esse rejiciendam.
7. Curam syphilidis in gestante etiam foetui proficere.
8. Vulgus perpetuus medicinae censor; nulla autem scientia vulgo argumentum difficilius constituit, quam medicina.
9. Hypochondriaci leves morbos augescunt, et saepe ex nihilo tumulum sibi aedificant.